



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Caput II. De Statu Naturæ humanæ innocentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

De Statu Naturæ humanæ innocentis.

§. I.

De dotibus & privilegiis naturæ innocentis.

34. **P**lurimæ, atque illæ præstantissimæ fuerunt natu-
 Dotes re innocentis prærogativæ, tam naturales,
 natu- quàm supernaturales, quibus Creator Optimus cor-
 ra in- pus & animam hominis exornavit. Inter celebri-
 no- res corporis dotes fuere integritas sensuum, apta
 centis membrorum omnium compositio, statura perfectæ
 natu- decor; temperamenti & humorum debita coordi-
 rales. natio: inde sanitas, virium robur, pulchritudo
 tantaque perfectio, quanta hujusmodi statûs condi-
 tionem decebat. Inter naturales animæ dotes emi-
 nebat infusa rerum omnium naturalium scientia,
 juxta illud *Eccli. 17. Disciplinâ intellectus replevit*
illos: creavit illis scientiam spiritûs, sensu imple-
vit cor illorum: & mala & bona ostendit illis.
Posuit oculum suum super corda illorum, osten-
dere illis magnalia operum suorum. Hujusmodi
 namque scientia *Adamo* necessaria erat non ad vi-
 tæ duntaxat corporalis usum & conservationem,
 sed etiam ad instructionem cæterorum omnium,
 quorum caput & pater à Deo fuerat constitutus,
 immo & ad contemplationem & laudem Creatoris.
 Habebat itaque cognitionem rerum corporearum,
 sive quæ in terris, sive quæ in firmamento positæ
 sunt: prima omnis honestatis principia ad vitam re-
 ctè sapienterque instituendam intimè penetrabat:
 Deum naturæ Autorem optimè intelligebat. *Adæ*
 volun-

voluntati Deus infudit virtutum moralium habitus, qui videlicet per actus humanos ordinis naturalis adquiri possunt, illorum ope ac subsidio ut voluntas recte rationi subiecta foret, atque ut inferior appetitus in praestituto honestatis officio contineretur. Erat proinde *Adami* voluntas prompta semper & expedita ad quosvis actus cujusvis virtutis moralis huic statui convenientis exercendos.

Homini in iis, quæ ad naturæ perfectionem at-
 tinent, optime constituto (nam *creavit Deus ho-*
minem rectum, & secundum se vestivit illum vir-
tute. Eccles. 17.) superaddidit Deus dona superna-
 turalia, quæ congrua totidem media forent ad finem
 ultimum supernaturalem consequendum. Cogno-
 vit itaque Deum esse, non modò quatenus naturali
 ratione manifestatur, sed etiam ut objectum est bea-
 tudinis supernaturalis, & principium omnis iustitiæ
 nostræ & salutis, ac remunerator, qui præmium
 ordinis supernaturalis redditurus est. Hæc enim
 omnia per se primò necessaria sunt ad vitæ sanctita-
 tem, ad Deum cum vera fiducia, & dilectione per-
 fectâ quærendum, juxta illud Apostoli ad *Hebr. 11. v. 6.*
Sine Fide impossibile est placere Deo: credere
enim oportet accedentem ad Deum, quia est, &
inquirentibus se remunerator sit. Existimant non-
 nulli, *Adamo* jam ante peccatum revelata fuisse
 mysteria Ss. Trinitatis, & Dominicæ Incarnationis
 quoad substantiam, tum quia ad honorem Christi
 pertinebat, ut semper & in quovis statu ab homi-
 nibus agnosceretur tamquam Caput Angelorum &
 hominum; tum quia Fides in Christum pro omni
 statu necessaria ad salutem fuit dicente S. PETRO
Act. 4. v. 12. Non est in aliquo alio salus. Nec
enim

35.
Dotes
super-
natu-
rales.

enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Fides autem Incarnationis Fidem Ss. Trinitatis supponit. Utrum verò Adam innocens cognoverit etiam Christum tamquam Autorem gratiæ, ita ut ex meritis Christi gratiam & gloriam sese consecuturum esse speraverit? controversatur. *Videantur dicta in Tract. de Incarnat.* Ad voluntatem quod attinet: instructa hæc fuit gratiâ supernaturali tum actuali, tum habituali: illâ enim indigebat ad salutare opus exercendum. Sicut enim (inquit S. AUGUSTINUS L. de nat. & gr. c. 26) oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere; sic homo etiam perfectissimè justificatus, nisi æternâ luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere. Unde Concilium ARAUSICANUM II. can. 9. decernit: *Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo se ipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret: unde cum sine Dei gratia salutem non possit custodire, quam accepit; quomodo sine gratia Dei poterit reparare, quod perdidit?* Nempe gratia actualis non minùs elevare intellectum debet, ut, quæ supra ipsum sunt, attingat, quàm comple- re voluntatem, ut in opus exire possit. De gratia habituali Adamo concessa intelligi potest illud Apostoli ad Ephes. 4. v. 23. *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* Ceterà dogma Catholicum est, Adamum gratiâ sanctificante donatum fuisse. Siquis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim san-
ctita.

Elitatem & iustitiam, in qua constitutus fuerat,
 amisisse, incurrisseque per offensam praevaricatio-
 nis huiusmodi, iram & indignationem Dei, at-
 que ideo mortem, quam antea comminatus illi
 fuerat Deus, & cum morte captivitatem sub ejus
 potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc
 est, diaboli, totumque Adam per illam praevari-
 cationis offensam, secundum corpus & animam in
 deterius commutatum fuisse; anathema sit. Ita
 CONC. TRIDENTINUM Sess. 5. Can. 1. Veritatem hanc
 PP. plerique tum Græci, tum Latini colligunt ex
 verbis Gen. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad ima-
 ginem & similitudinem nostram.* Quippe volunt
 imaginis vocabulo ea designari, quæ ad naturam
 hominis pertinent; isto autem similitudinis super-
 na atque indebita animæ ornamenta significari. Ita
 S. PAULINUS ep. 2. ad Severum scribit, nos verè
 ad originalem gloriam reformari, si divinam simi-
 litudinem Christi imitatione capiamus; nam in
 Adam solam nobis imaginem remansisse. S. MA-
 XIMUS Cent. 3. inquit: Secundum imaginem qui-
 dem Dei est omnis natura rationalis: secundum
 similitudinem verò tantum boni & sapientes; il-
 lud secundum naturam, hoc ex gratia. S. BER-
 NARDUS Serm. I. de Annunc. ait: Ad imaginem &
 similitudinem Dei factus est homo: in imagine ar-
 bitrii libertatem, virtutes habens in similitudine.
 Et similitudo quidem perit; verumtamen in ima-
 gine pertransit homo. Et quidem vero propius est,
 Adamum non sine prævia dispositione gratiam san-
 ctificantem recepisse; cum enim in adulta ætate
 creatus esset, adultorum more sanctificatus cense-
 ri debet. Simul autem ac Adam sanctificatus fuit,

infu-

infusos etiam accepit reliquos virtutum habitus, qui sanctificantem gratiam solent comitari.

a) Ex dictis refellitur error Socinianorum volentium, absque corruptione quidem peccati, quæ nunc est, conditum fuisse *Adamum*; at justum & sanctum fuisse negant: innocentem, *b. e.* peccato immunem fuisse *Adamum* dicunt, non verò justitia donatum. Ita se. facilius sese impugnatos confidunt dogma de peccato originali, quod una cum *Pelagianis* inficiantur. *Socinus* Praelection. c. 3.

ß) *Bayus* sanctitatem naturæ humanæ prorsus debitam fuisse contendebat, ut liquet ex ejus propositionibus a GREGORIO XIII, & PIO V. damnatis, quarum 21. sic habet: *Humanae naturæ sublimatio & exaltatio in consortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.* Et 23. *Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio, dono quodam supernaturali & gratuito supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, & spe, & charitate Deum coleret.* Verum una PP. & TT. Catholicorum omnium sententia est, sanctitatem & quævis dona supernaturalia primo homini prorsus indebita fuisse. *Excedit homo suam ipsius naturam* (inquit S. GREGORIUS Nyss. L. de Beat. c. 7.) *nam dignus habitus, qui filius Dei fiat.* S. AMBROSIIUS L. 8. in Evang. Lucæ: *Non te præferas, quia filius Dei diceris: agnoscenda gratia, sed non ignoranda natura.* S. AUGUSTINUS L. 12. de civ. c. 9. *Bonam, inquit, voluntatem quis fecerat nisi ille, qui eos (Angelos) cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhaerent, creavit, simul in eis & condens naturam, & largiens gratiam . . . Isti autem, qui cum boni creati essent, tamen mali sunt malâ propriâ voluntate, aut minorem acceperunt divini amoris gratiam, quàm illi, qui in eadem perstiterunt; aut si utrique boni æqualiter creati sunt; istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti, ad eandem beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt . . . Constat igitur cum debita laude Creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de Sanctis Angelis*

gelis posse dici, quod charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum. Ubi Patres constanter naturam inter & gratiam discernunt: si autem gratia simpliciter debita est, jam non est gratia, sed naturalis perfectio hominis. Et quo jure natura etiam integra gratiam supernaturalem exigeret? an *moralis*? quod illud? an *physico*, quod in natura ipsa fundetur? igitur jus istud perseverat in statu naturæ lapsæ non minus, ac naturales cæteræ appetitiones, quas culpa non adimit. Homo ex natura sua Dei servus est: atque is adoptivam filiationem, & quæ ei adhæret, beatitudinem æternam jure suo exigere possit? neque ideo natura integra ejusdem hac in parte conditionis est cum lapsa: hæc enim ob culpæ demeritum quovis dono supernaturali *positive* indigna est, cum illa solum *negative* indigna extaret; supra meritum erat gratia in statu naturæ integræ: sed etiam contra meritum in statu naturæ lapsæ est.

Inter cætera naturæ innocentis privilegia duo 36.
sunt, quæ singularem suæ attentionem postulant, Alia
videlicet quod appetitus sensitivus ita fuerit subje- natu-
ctus voluntati & rationi, ut vel eam præveniret ra in-
numquam, vel illi imperanti repugnaret. Atque no
istud ex Sacris Paginis haud obscure colligitur. centis
Nam Gen. 2. de primis parentibus adhuc innoxiiis privi-
legia.
dicitur: *Erat autem uterque nudus; Adam scili-*
cet & uxor ejus, & non erubescabant: postquam
autem peccato se contaminaverant, *aperti sunt ocu-*
li amborum, cumque cognovissent se esse nudos,
consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizoma-
ta. c. 3. Apostolus ad Rom. 7. hos concupiscentiæ
motus ex Adæ peccato traxisse originem confirmat
his verbis: *Non, quod volo bonum, hoc ago, sed*
quod odi malum, illud facio. Si autem, quod nō-
lo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod
habitat in me peccatum, h. e. peccati fomes. Eam-
dem in rem satis apertè loquitur TRIDENTINUM
Sess.

S. ss. 5. Can. 5. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè peccatum in renatis sit; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Siquis autem contrarium senserit, anathema sit. Istam verò ἀπαθείαν homo in primævo innocentiae statu soli divinæ liberalitati ac providentiæ debebat: quod si enim natura hominis purè, ac secundum se consideretur, etiam si potentias habeat virtutibus naturalibus perfectas ornatasque; pugnae tamen & rebellionis carnis adversus spiritum obnoxia est, eo quod per appetitum sensitivum ad sensibilia & corporea, per appetitum verò rationalem sive voluntatem ad honesta & spiritualia, quæ rationi congrua sunt, inclinetur. Ut autem rationis imperium rectum semper iustumque foret, fecere infusi homini habitus, cùm providentia removeret, quidquid ad motus inordinatos excitare appetitum posset, eumque ita semper contineret, ut voluntati ad nutum obsecundaret. Hanc ergo (obedientiam) priusquam violassent, placebant Deo, & placebat eis Deus; & quamvis corpus animale gestarent, nihil inobediens in illo adversum se moveri sentiebant. Faciebat quippe hoc ordo justitiæ, ut, quia eorum anima famulum corpus à Deo acceperat, sicut ipsa eidem Domino suo, ita illi corpus obediret, atque exhiberet vitæ illi congruum sine ulla resistantia famulatum. Ita S. AUGUSTINUS L. 2. de peccat. mer. & rem. c. 22.

37.
Im.

Pelagii error fuit, ut refert S. AUGUSTINUS ep. 106. quòd diceret, Adam sive peccaret, sive non pecca-

peccaret, moriturum esse, nec mortem in genus ^{MOE.} humanum introductam esse per pravaricationem ^{tali-} Ada. Atque ideo Pelagius illud Gen. 2. In quo- ^{tas.} cunque die comederis ex eo, morte morieris, de morte animæ interpretatus est. At oppositum de Fide est, Adam sc. nunquam moriturum fuisse, si non peccasset. Et primò quidem hæc veritas definita est in Concilio MILEVITANO cap. 1. his verbis: Qui dixerit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut, sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ; anathema sit. Idem docet Concilium ARAUSICANUM II. Can. 1. & 2. & TRIDENTINUM Sess. 5. cap. 1. dicens: Adam peccando incurrisse mortem, quam antea comminatus illi fuerat Deus. Horum autem verborum Gen. 2. in quocunque die, &c. quis sensus esset, satis explicuit Scriptura Gen 3. In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Et Apostolus ad Rom. 5. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Ibid. c. 8. Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò vivit propter justificationem. Confirmatur dicto Sapientis c. 2. Deus creavit hominem inextermabilem, invidia autem diaboli mors introiit in Orbem terrarum. Itaque singulari Dei beneficio factum fuisset, ut homo non moreretur, nisi pravaricator divinæ legis extitisset, quamvis naturalem immortalitatem ante peccatum non haberet. Corpus Adami mor-

tale erat (inquit S. AUGUSTINUS L. 7. de Gen. ad lit. c. 25.) quia poterat mori; & immortale, quia poterat non mori. Aliud est non posse mori, sicut quasdam naturas creavit Deus; aliud est autem posse non mori, secundum quem modum primus homo creatus est immortalis. Qua autem ratione homo innocens à morte servaturus sese fuisset; non una est omnium opinio. Absque cibo perennem ac beatam vitam toleraturos fuisse parentes primos, nonnulli quondam opinati sunt. Verum quid attinebat offerre illis alimenta, quodsi horum nulla foret necessitas? (Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna, quæ habent in semet ipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam. Gen. I. v. 19. Aut quæ vescendi voluptas melius procul dubio inutili re carituris? immo quàm indignum hoc felici illo, beatoque vitæ statu, ad istam cum bestiis communem corporis functionem abjici, si non eam sola corporis necessitas commendaret? rectius itaque S. AUGUSTINUS L. 13. de Trin. c. 20. Licet, inquit, morituri non essent primi parentes, nisi peccassent; alimentis tamen utebantur nondum spiritalia, sed adhuc animalia corpora terrena gestantes, quæ licet senio non veterascerent, ut adducerentur ad mortem (qui status eis de ligno vitæ, quod in medio paradisi cum arbore vetita simul erat, mirabili Dei gratiâ præstabatur) tamen alios sumebant cibos . . . De ligno autem vitæ propterea gustabatur, ne mors eis undecumque subreperet, vel senectute confecti, decursis temporum spatiis interirent, tamquam cætera essent alimento, illud Sacramento. Quamvis autem naturalis aliquid in
arbore

arbore illa virtutis per sese fuerit ad firmandum corroborandumque corpus, ut vivax & longævum esset; non tamen immortale, si divinam ab eo gratiam, ac specialem providentiam sejungas: unde S. THOMAS in 2. dist. 19. q. 1. a. 4. *Ab hoc modo corruptionis conservabat hominem illasum divina providentia.* Et S. AUGUSTINUS L. 1. de peccat. mer. c. 3. *Si Deus Israëlitarum vestimentis & calceamentis præstitit, quod per tot annos non sunt obtrita; quid mirum, si obedienti homini ejusdem potentiâ præstaretur, ut animale ac mortale habens corpus, haberet in eo quemdam statum, quo sine defectu esset annorum.*

Adamum in justitia originali à Deo conditum 38. fuisse, dogma certum & catholicum est. An verò Justitia originalis justitia fuerit specialis quidam habitus à gratia distinctus, & voluntati inhærens eum in originalis finem, ut voluntas Deo non faciliter duntaxat, sed etiam majori cum intensiōe & delectatione, quàm appetitus sensitivus objecto suo delectabili adhereret? an præter omnem gratiæ & virtutum infusarum rectitudinem adjecerit voluntati rectitudinem quamdam naturalem, quæ peccato amissa fuerit? an fuerit ipsa gratia hominem Deo gratum faciens? an denique fuerit plurium habituum, & beneficiorum Dei collectio? disputant TT. Præferenda cæteris videtur sententia posterior, quia Adam amittendo sanctitatem & justitiam, secundum corpus & animam (ut loquitur TRIDENTINUM Sess. 5. Can. 1.) in deterius commutatus est; igitur illa justitia corpus & animam perficiebat; proinde est collectio plurium habituum, & beneficiorum Dei, quibus immensa Dei bonitas corpus & ani-

nam ditaverat. In tribus autem præcipuè sita erat justitiæ originalis reëtitudo, videlicet in debita subordinatione animæ ad Deum, quæ est per intellectum & voluntatem, ideoque per dona vel habitus, qui utramque hanc animæ facultatem in ordine ad Deum rectè disponebant. 2º. In debita subordinatione inferioris partis ad superiorem, *h. e.* phantasie ad intellectum, & appetitûs sensitivi ad voluntatem, qua fiebat, ut in istis inferioribus potentiis nulla exurgeret motio homini disconveniens, quamdiu ratio in perfecta ad Deum subjectione perseveraret. 3º. In debita subordinatione corporis ad animam, quantum ad impassibilitatem, & immortalitatem. Quibus bonis omnibus spoliatum se sensit homo, simul atque divinam legem fuerat prævaricatus.

§. II.

De Paradiso, tentatione, & lapsu primorum parentum.

39. *Non ignoro (inquit S. AUGUSTINUS L. 8. de Para Gen. ad lit. c. 1.) de Paradiso multos multa didis.* xisse: tres tamen de hac re quasi generales sunt sententiæ. Una eorum, qui tantummodo corporaliter Paradisum intelligi volunt. Alia eorum, qui spiritualiter tantum. Tertia eorum, qui utroque modo Paradisum accipiunt, aliàs corporaliter, aliàs spiritualiter. Harum postremam amplectitur S. Doctor, ut tota *Mosis* narratio rerum verè ac propriè gestarum expositio sit, sed ita ut rerum occultarum & mysticarum significationem contineat. Secundæ opinionis autor & princeps est *Philo*

Philo Judæus, de quo Photius Cod. 105, testatur, allegoricam omnem enarrandæ Scripturæ rationem in Ecclesiam ab illo, seu fonte, manasse. Hunc interpretandi modum in Origene quoque reprehendit S. Hieronymus ep. 61. ad Pammachium, ubi de eodem queritur: quòd sic Paradisum allegorizet, ut Historiæ auferat veritatem, pro arboribus Angelos, pro fluminibus virtutes intelligens, totamque Paradisi continentiam tropologicâ interpretatione subvertat. Orthodoxis nunc omnibus planè certum exploratumque est, fuisse primis nostris parentibus attributum sub cœlo locum quemdam amœnitatis præcipuæ, quem hortum sive Paradisum Scriptura nominat. Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formaverat. Gen. 2. v. 8. De loco ac situ Paradisi Scriptores discrepant. Celebrrior hodie est eorum sententia, qui Paradisum aut in Armenia, aut in Mesopotamiæ confinibus collocant: nam 1^o. Paradisum in orientali mundi plaga situm fuisse, colligitur ex interpretatione LXX, qui Paradisum à Deo plantatum fuisse significant ἐν Ἐδέμ: Eden verò propè Haran seu Charras Mesopotamiæ urbem extitisse, patet ex Isa. c. 37. v. 12. Ezech. c. 27. v. 23. Immo cùm Vulgata habet: à principio, in Hebræo legitur: ab Oriente, vel ad Orientem. Tum etiam Euphrates & Tigris fluvii in descriptione Paradisi à Mose recensiti, è montibus Armeniæ, Strabone teste, exorti ipsi regioni, quam disjunctis alveis circumfluunt, Mesopotamiæ nomen tribuunt. Ad flumina Phison & Gehon quod attinet: fuisse fluvios ab Euphrate & Tigri deri-

vatos, quorum ille subin terram *Hephilat*, hic Aethiopiam irrigaverit, PERERIUS in *Gen. L. 3.* alique Recentiores existimant.

a) Ex eo, quod Paradisus ad Orientem situs fuisse dicatur, S. BASILIUS in *L. de Spir. S. & PP.* nonnulli existimant manasse ritum illum, ut ad Orientem conversi Christiani Deum adorarent. S. DAMASCENUS *L. 4. de Fide c. 13.* hanc aliam causam addit, quod sc. Adam Paradiso ejectus ad Orientem respectans, veterem habitationem suspiraverit, suoque nos exemplo id facere docuerit.

40.
Ar-
bor
vitæ,
& sci-
entiæ
boni
& ma-
li.

In Paradiso cum omnis generis stirpes & arbores, tum duæ præ cæteris memorabiles fuisse produntur, quarum altera *scientiæ boni & mali*, vitæ altera nuncupatur. Prioris illius hanc fuisse naturalem vim, ut boni & mali notitiam tribueret gustanti, putavit S. DAMASCENUS *L. 2. de Fide c. 11.* At verosimilius est, arborem istam ab effectu nomen sortitam esse. *Ideo lignum hoc vocatur cognoscibile boni & mali, quod præceptum ad exercendam obedientiam, & inobedientiam editum circa illam arborem versatum est.* Ita S. CHRYSOSTOMUS *Hom. 7. Tom. V.* Et licet Adam boni & mali non ignarus esset; tamen usu nondum & experimento didicerat. Consentit S. AUGUSTINUS inde vocatum hoc lignum adserens, *quia faceret dignoscentiam boni & mali; id est boni, à quo exciderant, & mali, in quod ceciderant, si ad vescendum contra vetitum tangeretur.* *L. 14. de civ. c. 17.* Similiter ligno vitæ ab effectu, quem habiturum fuisset, nomen istud constitutum est, non equidem solâ virtute naturali vitæ perennitatem conferente, sed Deo singulariter protegente. Unde non est, quod impie

impiè crimentur *Theistæ*, etiam bestias, siquidem ex hoc vitæ ligno gustassent, immortalitatem fuisse consecuturas: cum eandem illarum habere curam Deus nullibi promiserit.

Primum hominem à Deo extra Paradisum fuisse 41. conditum, satis colligitur ex *Gen. 2. v. 15. Tulit* *Ho-*
ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in *mo in*
Paradiso voluptatis. Quæ enim ratione Deus ho- *Para-*
 minem tulisse, & posuisse in Paradiso, dici pote- *disum*
 rat, si eundem in ipso jam Paradiso condidisset? *trans-*
 & c. 3. v. 23. *Et emisit eum Dominus Deus de* *latus.*
Paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de
qua sumptus est, ejecitque Adam: ubi apertè signi-
ficatur, creatum fuisse Adam ex terra, quæ extra
Paradisum erat. *Evam* autem in Paradiso forma-
 tam fuisse, communior Interpretum sententia est.
 Cum enim Deus *Gen. 2. v. 16.* tulisset hominem, eum-
 que in Paradiso voluptatis posuisset; v. 18. subdi-
 tur: *Non est bonum, hominem esse solum: facia-*
mus ei adiutorium simile sibi. Translato igitur
 jam in Paradisum Adamo, primum de Eva forman-
 da cœptum est; ideoque extra Paradisum vitæ so-
 ciam non habuit Adam. Neque ratio sufficiens da-
 tur, cur MOYSES in suæ narrationis serie ad tempo-
 ris, quo res gestæ sunt, ordinem hic non attendis-
 se dicatur. Quod igitur habetur *Gen. 1. v. 27.*
Et creavit Deus hominem ad imaginem suam:
ad imaginem Dei creavit illum, masculum & fe-
minam creavit eos; anticipato dictum est. Quan-
 to autem tempore Protoparentes in Paradiso com-
 morati fuerint; diversæ sunt PP. & interpretum
 sententiæ. SS. IRENAEUS L. 5. *adversus Hæres.*
 CYRILLUS, EPIPHANIUS alique putant, *Adamum*
 eandem

eàdem, qua in Paradisum inductus fuerat, die de vitato arboris fructu comedisse, atque è Paradiso fuisse ejectum: rationem petunt tum ex *Moyſis* narratione *Eva* productioni mox tentationem diaboli, & utriusque Protoparentis prævaricationem subjungentis; tum ex invidia diaboli, qua stimulante primos parentes continuò adortus est. PERERIUS L. 6. in *Gen.* c. 3. cum aliis primorum parentum in Paradiso commorationi octo dierum spatium concedit, eo quod verosimile non sit, tam multa, tamque varia, quæ inter *Adæ* & *Eva* creationem, eorundemque è Paradiso ejectionem accidisse memorantur, intra unius nec integri diei spatium coartari posse. Quo enim die *Adam* in Paradisum translatus fuit, ad illum perducta fuere animalia, ut singulis nomen daret; tum de apto *Adæ* adjutorio actum est: immixtus proinde *Adamo* sopor, dein formata ex ejus latere *Eva*, quæ ad conjugem suum à Deo adducta, & in matrimonium data est. Tum acceptâ de omnium (si unam demas) arborum fructibus edendi potestate, quis neget primos parentes ad lustrandas ampli Paradisi delicias digressos fuisse? exin primò subsequutum est serpentis cum *Eva* colloquium, & verosimiliter longius multò, ac frequentius, quàm à *Moyſe* paucis ista exponente refertur. Denique virum alibi tunc commorantem multis blanditiis seduxit. Igitur aliquot dierum spatium, quo hæc omnia gesta fuerint, indulgeri debet. Sufficiens autem spatium octo, vel decem dierum videtur, ut negotia ista censeantur confecta; tum etiam ut degustatis Paradisi deliciis, exiliū sui gravitatem magis intelligerent Protoparentes.

Homini

Homini primo statim, atque in Paradisum trans-
latus fuerat, antequam animalia fuissent ad ipsum
adducta, vel *Eva* ex ipso formata, Dominus præ-
ceptum dedit, quo usum certæ arboris vetuit.
*Præcepitque ei dicens: ex omni ligno Paradisi co-
mede: de ligno autem boni & mali ne comedas;
in quacunque enim die comederis ex eo, morte mo-
rieris. Gen. 2. v. 17.* Equidem LXX. legunt:
ne comedatis, unde nonnulli arguunt, *Eva* quo-
que jam tunc formatæ præceptum illud datum fuis-
se; attamen cum textus hebraus non minùs ac Vul-
gata singulari numero utatur; primordiale hanc
legem soli *Adamo* primitus datam fuisse cense-
bet. Cum tamen *Adamo* tamquam Capiti propo-
sita esset, non *Eva* duntaxat, sed toti quoque po-
steritati simul imposita censebatur. Atque ideo
Eva verè dixit: *Præcepit nobis Deus, ne comede-
remus. Gen. 3. v. 3.* Et sanè oportuit in ipso sta-
tim Paradisi ingressu præceptum hoc *Adæ* imponi,
ne alioquin priùs de arbore scientiæ sine noxa co-
mederet. Verosimillimum quoque est facultatem
ex omni alio Paradisi ligno comedendi factam *Ada-
mo* fuisse, simul ac in hortum ingressus fuit; er-
go etiam exceptio generalem istam concessionem
mox fuit comitata. Atque hanc in sententiam in-
clinat S. AUGUSTINUS L. 8. de *Gen. ad lit. c. 17.*
dicens, *ordinatissimè ita datum fuisse præceptum,*
ut per virum ad feminam perveniret, juxta
disciplinam Apostoli docentis feminas, ut domi vi-
ros suos interrogent. 1. ad Cor. 14.

Invidiâ stimulatus Satanas cum cerneret primos
parentes tam copiosis instructos donis, & divinis
muneribus exornatos, sortemque beatæ perennita-

tis, qua ipse exciderat, ferre non posset; nihil non agendum duxit, ut homines in eandem secum ruinam pertraheret. Quod ut facilius certiusque obtineret, fraudibus utendum ratus, serpentem naturâ suâ callidum ingredi statuit, eamque præprimis adoriri, quam nec suspicio fraudis terreret, nec firmior animi constantia præmuniret. Itaque serpentis organo certâ ratione moto vocem humanam effingit, & sic ad illam: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno Paradisi?* Gen. 3. v. 1. Mulier admirata quidem locutionem serpentis, ac suspicata etiam id quod erat, angelicâ nempe vi istud fieri, metu tamen & timore non corripiebatur, eoquod necdum peccasset, seseque Deo curæ esse non ignoraret. Unde mox respondit: *De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso, vescimur: de fructu verò ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur.* Videbatur sic elusa Satanæ tentatio; at ille rursus ad mulierem: *Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: & eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* Splendidis his Satanæ mendaciis illecta Eva, & dulci superbix veneno capta, divini jam immemor præcepti, vidit, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro suo, qui comedit. Gen. 3. v. 6.

44
Lap
sus

Initium itaque peccandi in Eva fuit superbia: cum enim audiisset illa serpentis verba: *nequaquam moriemini, sed eritis sicut dii;* mox fructum arboris

boris curiosius intuita iudicavit, quod esset bonus ^{primorum} ad vescendum. Unde S. AUGUSTINUS L. 11. de ^{rum} Gen. ad lit. c. 30. Quando, inquit, his verbis crederet mulier à bona atque utili re se fuisse prohibi- ^{pa-} ^{ren-} tos, nisi jam inesset menti amor ille propriae potestatis, ^{tum.} & quaedam de se superba praesumptio, quae per illam sententiam fuerat convincenda, & humilianda? & ibid. c. 5. Nec arbitrandum est, quod esset hominem dejecturus iste tentator, nisi praecessisset in anima hominis quaedam elatio comprimenda. Id ipsum subinde fuit Adami peccatum: unde Deus v. 22. Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum. Eva nimirum cum à serpente seducta gustasset, nec mali sensisset quidquam; ad virum confestim advolans, quae sibi à serpente promissiones factae fuissent, exponit. His promissionibus stimulatus Adami animus quamdam omniscientiae divinae prerogativam mox appetiit, scire videlicet bonum, & malum, ut per se ipsum ac viribus naturae & ingenii sui in omnibus dirigere sese posset, discernendo ac eligendo, quod bonum & quod malum esset, cavendo, sicque plenam perfectamque felicitatem assequeretur, quasi Deus quidam esset, qui à nemine dirigi vel adjuvari deberet. Ambo itaque, sc. diabolus & homo, adfectarunt altitudinem, ille potentiae, iste scientiae, inquit CORNELIUS à Lap. in h. l. Istud verò superbiae peccatum mox secutum est alterum inobedientiae, cum divinae legis ingrati praevaricatores utrique extiterunt.

Quantò felicior fuerat primorum parentum conditio, cum in statu innocentiae viverent; vivebat ^{45.} ^{Poenae} enim homo (ut loquitur S. AUGUSTINUS L. 14. de ^{primorum} civ. c. 26.) in Paradiso sicut volebat, quamdiu ^{hoc} ^{pa-}

ren- hoc volebat, quod Deus jusserat; vivebat fruens
tum. Deo, ex quo bono erat bonus; vivebat sine ulla
egestate, ita semper vivere habens in potestate.
Cibus aderat, ne esuriret, lignum vitæ, ne illum
senectæ dissolveret; nihil corruptionis in corpore,
vel ex corpore ulla molestias ullis ejus sensibus in-
gererat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus
metuebatur extrinsecus. Summa in carne sani-
tas, in anima tota tranquillitas. Sicut in Pa-
radiso nullus æstus, aut frigus; sic in ejus habi-
tatore nulla ex cupiditate, vel timore accedebat
bonæ voluntatis offensio. Nihil omnino triste, ni-
hil inaniter latum; gaudium verum perpetuaba-
tur ex Deo, in quem flagrabat charitas ex corde
puro, & conscientia bona, & fide non ficta, at-
que inter se conjugum fida ex honesto amore socie-
tas; concors mentis corporisque vigilia, & man-
dati sine labore custodia. Non lassitudo fatiga-
bat otiosum, non somnus premebat invitum; tan-
tò graviores miseriæ & calamitates, velut agmine
facto, in hominem prævaricatorem irruerunt. Vix
enim fructum vetitum gustaverunt, continuò aper-
ti sunt oculi amborum: gratiæ videlicet & justitiæ
originalis tegumento spoliati adverterunt nuditatem
suam, motusque concupiscentiæ rebelles rationi
fenserunt; cumque audissent vocem Domini, mox
Adam inter densissimas Paradisi arbores sese abscon-
dit: uterque autem damnationis suæ sententiam au-
dire meruit. Et mulieri quidem dixit Dominus:
Multiplicabo ærumnas & conceptus tuos, h. e.
ærumnas conceptuum, in dolore paries filios, &
sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.
Adamo autem dixit: *Quia audisti vocem uxoris*
tue

tua, & comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae . . . In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris . . . Et emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est. Gen. 3. Ex quo igitur divinam legem praevaricatus Adam fuit, labores, misérias, omnesque vitae hujus calamitates experiri debuit: gratiae spoliatus donis, mortis sententiam in se latam audiit: se omnemque suam posteritatem malis longè gravissimis objecit, nec iis duntaxat temporariis, sed nullà etiam aeternitate finiendis.

§. III.

Resolvuntur aliquot quæstiones.

QUAESTIO I.

An Diabolus veri serpentis organo usus Evam seduxerit?

Evam non voce externâ fuisse tentatam, sed in- 46.
ternâ suggestionem dæmonis, qui serpentis no- Variæ
mine à Moyse metaphoricè significetur; opinio fuit sen-
Cajetani. Olim S. CYRILLUS L. 3. contra Julian. ten-
& EUSEBIUS in *Cosmopœia* putarunt, dæmonem tix.
hic non verum serpentem, sed speciem serpentis
duntaxat, & formam induisse, eo modo, quo An-
geli aëreo induti corpore apparent, tametsi verum
corpus humanum assumpsisse videantur. Quamvis
SUAREZ L. 5. de amiss. statûs innocent. c. I. exi-
stimet, S. Cyrillum hanc sententiam non ita aper-
tè

tè edixisse, eoquod respondens *Juliano* calumnianti serpentis humanam cum *Eva* locutionem Græcorum fabulis simillimam esse, dicat, mirari se; quomodo *Julianus* non intellexerit, vocem illam dæmonis operatione factam fuisse, *serpente velamentum malignitatis illius sic adumbrante*. Quæ verba de vero serpente non minùs, ac de ejus simulacro intelligi possunt. Immo idem S. P. § ult. concludit, quòd serpens solùm per se non fuerit locutus mulieri, cùm ex sua natura sermonis & mentis expers sit, quæ procul dubio de vero animali dicta sunt. *Juliani* autem Apostatæ blasphemam impietatem hac nostra ætate non sequuntur modò, sed etiam superant *Theistæ*, & *Increduli*.

47. *Evam seduxit Diabolus veri serpentis organo*
 Verus usus. Nam *Moyse*s in sua narratione disertè testatur serpentem fuisse unum ex animantibus terræ, cùm ait *Gen. 3. v. 1. Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus*. Tum etiam genus pœnæ, quo Deus serpentem mulctavit, eum verè talem fuisse declarat. *Quia hoc fecisti, maledictus es inter omnia cri-
 mantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.*
 v. 14. Quæ certè nec adumbrato serpenti, nec dæmoni conveniunt. Bene autem dæmoni veri serpentis organo utenti congruit familiaris ille congressus, & colloquium cum *Eva*. Idcirco diabolus *serpens antiquus* vocatur *Apoc. 12. v. 9. Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & Satan, qui seducit universum orbem*. Fuit hæc ipsa Ss. *Basilii* & *Chrysostomi* Homiliis in *Gen.* sententia. THEODORETUS
 interro-

interrogatione 32. Serpens, inquit, erat organum inimici veritatis. Et hoc declaravit Dominus in Evangeliiis divinis. Cum dixisset enim Judais: Vos ex patre diabolo estis; subjunxit: Ille homicida erat ab initio. Diabolus igitur per serpentem allocutus est Evam. Cum enim à Deo omnium accepissent imperium in universa irrationalia, diabolus ministerio unius animalium subditorum laqueum illi tetendit, hoc pacto suavis faciliores componens insidias. Quòd autem diabolum ministerio serpentis operantem, Scriptura divina serpentem appellat, testatur Isaias Propheeta clamans: In die illa vibravit Deus gladium suum sanctum, magnum & fortem, adversus draconem, serpentem tortuosum & validum, adversus draconem serpentem fugientem, qui est in mari. S. AUGUSTINUS L. 2. de Gen. ad lit. c. 27. Ab illo ergo, inquit, cujus super omnia, quæ creavit, potestas est per Angelos sanctos, à quibus illuditur diabolus, cum & de ipsius malevolentia consulitur Ecclesiæ Dei, non est permissus tentare feminam nisi per serpentem, nec virum nisi per feminam: sed in serpente ipse locutus est, utens eo velut organo, movensque ejus naturam eo modo, quo movere ille, & moveri illa potuit ad exprimendos verborum sonos, & signa corporalia, per quæ mulier suadentis intelligeret voluntatem. In ipsa verò muliere, quia rationalis creatura erat, quæ motu suo posset uti ad verba facienda, non ipse locutus est, sed ejus operatio atque persuasio, quamvis occulto instinctu adjuvaret interius, quod exterius egerat per serpentem. Et c. 28. Non itaque serpens verborum sonos intelligebat, qui ex illo fie-
bant

bant ad mulierem. Neque enim conversa credenda est anima ejus in naturam rationalem: quandoquidem nec ipsi homines, quorum rationalis natura est, cum dæmon in eis loquitur eâ passione, cui Exorcista requiritur, sciunt, quid loquantur. Et L. 14. de civ. c. 11. Postea verò quàm superbus ille Angelus, ac per hoc invidus, per eandem superbiam à Deo ad semetipsum conversus, quodam quasi tyrannico fastu gaudere subditis, quàm esse subditus eligens, de spiritali Paradiso cecidit, male suadâ versutiâ in hominis sensus irrepere adfectans, cui utique stanti, quoniam ipse ceciderat, invidebat, colubrum in Paradiso corporali, ubi cum duobus illis hominibus, masculo & femina animalia etiam terrestria, ceterâ subdita & innoxia versabantur, animal scilicet lubricum, & tortuosis anfractibus mobile, operi suo congruum, per quem loqueretur, elegit; eoque per Angelicam præstantiam præstantioremque naturam spiritali nequitiâ sibi subiecto, & tamquam instrumento abutens, fallacia sermocinatus est femina.

Respondetur ad objecta.

Obj. 1. Ipsa Dæmonum existentia inter Græcorum fabulas ableganda semper visa est sapientibus: commentum est, quo per aliquot Secula Ecclesiæ Patres usi sunt, ut populum in officio suo continerent; proin *Moyssis* quoque narratio de Eva per dæmonem serpentis organo utentem deceptâ fabulis accensenda est. Resp. An ascendere altiùs, vel sese profundius demittere poterat blasphema *Theistarum*, & *Incredulorum* protervia? agedum! dæmonum existen-

existentiam inter quæstiones facti referamus: quibus jam argumentis decidendas hujusmodi quæstiones putabunt *Theistæ*, quæ hanc ipsam quæstionem: *an daemones existant?* non confirment? Fuit hæc daemonum existentia omnibus semper Fidelibus tam Veteris, quàm Novi Testamenti persuasissima: illorum meminere Scriptores antiquissimi, testes omni exceptione majores: testantur Libri sacri, quos in suspensionem fraudis, aut vitii alterius vocare summæ temeritatis est; daemonum vires experti sunt energumeni: daemones extare quisquis unquam negavit; aut ex Fidelium, & rectè sentientium numero non fuit; aut sceleratissimum sese probavit. Paucis sic habe: daemones existere non repugnat: quòd actu existant, per plura annorum millia constans fuit populorum consensus, & Patrum Scriptorumque sententia: quid igitur est, quòd *Theistæ* hanc existentiam in dubium vocare præsumat? nequid hoc loco commemorem de authenticia & divinitate Librorum, quos Sacra Biblia dicimus, quos nisi omnibus gentilium Scriptorum monumentis longè eminere fateatur *Theistæ*, helleboro perfandus est.

Inst. I. Dæmones dicuntur, qui superbiâ lapsi è cælo in barathrum dejecti sint: verùm quo in angulo latuit superbia, priusquam Angelorum Principem Luciferum corripere, eumque ad seditionem stimulare? an fortè sceleris hujus sementis congenita Angelis fuit? aut num fieri potuit, ut creatura tam eximiis omnis gratiæ & sanctitatis condecorata donis, ex semet ipsa in horrendum adeò perfidiæ scelus prolaberetur? Lucifer an tam cœcâ corripì velantiâ potuit, ut Altissimo similis esse ambiret,

qui neque conditorem suum, neque creaturam se se ignorabat? *Resp.* Et ego qui fieri posse existimem, ut nostræ ætatis incredulus divina humanaque testimonia, quæ viris ab eruditione, prudentiâ & sanctitate per plurima jam secula commendatissimis certissima semper fuerunt, negare audeat? age Incredible! an nullus mortalium extitit hætenus, quem aut superbiæ, aut perfidiæ scelus infamem redderet? pone nunc primum aliquem hujus flagitii autorem, ante quem superbus nemo, nemo perfidus fuerit. Quo nunc in angulo istud superbiæ, aut perfidiæ monstrum latuit, aut quid fuit, quod hominem ad tam nefandum scelus impelleret? non ego te eum esse existimem, qui Deum ipsum hujus criminis innocentem blasphemare audeas: at neque hominem instigatorem habuit; nam ex hypothese ipse primus isto sese peccato obstrinxit. Propriâ igitur voluntate suâ, & liberâ electione à bono ad malum declinavit. Optimè constituta fuerat Angelorum natura: præstantissima gratiæ dona accesserant; at sanctitas plenâ perfectâque beatitate necdum fuerat consummata: Viatores esse Angelos Deus voluit, ut obsequiis suis in patriam ingredi mererentur, quem in finem libertate fuerant à sapientissimo Creatore instructi. Hac abusi rebelles Angeli non eam, quæ æterna & increata est, sed inferiorem longè Dei similitudinem ambiebant, videlicet ut omni legum vinculo soluti ad suum vivere arbitrium liceret. Quam in re tametsi turpitudinis plurimum sit; nihil tamen reperies, quod Angeli rebellis peccatum reddat impossibile. Quoties vilissimi homines tumultu & seditione regiam consequi dignitatem meditati sunt? immo quid non audent *Theistæ*,
ut

ut spretis conculcatisque divinis & humanis juribus, proscriptâ Religione, Ecclesiâ, si fieri posset subversa, regnum *Antichristi* præparent?

Inst. 2. Eslo, unus aliquis Angelorum eo cæcitatæ & dementiæ prolapsus fuerit, ut legis divinæ jugum excutere vellet; quî factum est, ut continuo tot Angelorum millia in hujus nefandi sceleris societatem coirent? an forsam jam ante in scelus tacite consenserant? an unus ille tot legiones contagione mox affecit? an verò cæteris peccatum Principis idcirco imputatum est, eoquod illius potestati à Deo subditi fuissent? aut num eadem insana ambitio sine mora omnes incescit? *Resp.* In rebus humanis quod quæunque insignes eventus suspicimus, quorum ortum & progressum sæpius ignoramus? impium verò, sacrilegum & blasphemum est, quod ait Incredulus, Angelorum Principis peccatum idcirco reliquis imputatum fuisse, quòd illi fuerint subordinati; num enim justitia divina in cæteros tantâ severitate animadvertere potuisset, quodsi nullo ipsi scelere contaminati fuissent? ante equidem, quàm *Lucifer* nefarias suas molitiones prodidisset, omnis aberat conspiratio adversus potentiam Altissimi: statim verò atque intellexerunt cæteri perfida *Luciferi* consilia; hujus exemplo suasque concitati, propriæque suæ excellentiæ fastu impulsî rebelles Angeli ducem secuti sunt similiter omnes Dei jugum excussuri. Quæ hîc repugnantia? si non capis Incredule, cogita in ægno spirituum hæc gesta esse. Anima tua amplissimas civitates sibi repræsentat: eodem ferè instanti vastissimas regiones cogitatione percurrit, res diversissimas meditatur, oppositis affectibus agitur; tunc ista, quæ certissima sunt, capias?

Inst. 3. *Lucifer* quomodo suadere cæteris peccatum potuit, qui eodem, quo peccaverat, instanti criminis sui pœnas dedit? aut si tempus fuit reliquum; quâ poterat *Lucifer* in errorem inducere cæteros, quorum mentes erant perspicaciores, quàm ut istiusmodi libertatem vel debitam sibi, vel etiam possibilem judicare possent? *Resp.* Quid, si *Luciferi* peccatum per plura temporis instantia duravit (nam tunc quoque verum est, rebellibus Angelis nullum pœnitentiæ spatium à Deo concessum fuisse) an sic exemplo & hortatu suo reliquos seducere non potuit? hi verò ut sceleris consortes forent, necessum non fuit, ut in *speculativum* errorem inducerentur; sed *practicum*, exaggerando videlicet non suam duntaxat pulchritudinem, & decorem naturalem, sed totius etiam naturæ Angelicæ excellentiam, quam nefas esset tot legum vinculis refrenare. Tu ipse Incredule, quoties ex naturæ humanæ excellentia arguere ausus es, Creatorem sapientissimum non decuisse, ut legi naturali aliam positivam adderet? si libertatem hominibus concessit Deus, an prope ridiculum non sit tot leges fingere, quibus eadem restringatur? hæc pessimæ sunt tuæ consecutiones à magistro haustæ, qui superbæ suæ temeritatis pœnas in orco jam pridem dedit, & deinceps sine fine dabit.

Obj. II. Lapsi igitur fuerint Angeli: existant daemones; at quo jure rebelles hi Angeli terrarum orbem ingressi sunt, ut hominibus nocerent? an propria sua audacia eos impulit? sed qui audaciæ suæ pœnas vix dederant, an novo scelere contra Dominum ire præsumerent? an divino permissu factum sit? verum permissio quævis aut tacitus consensus

tensus est, aut quadam indifferentia, quæ omnia ab Ente perfectissimo longissimè absunt. *Resp.* Quo jure *Theista* & *Increduli* divina humanaque miscere omnia audent, quæ Deus facerrima esse voluit? immanem hanc & prorsus à seculis inauditam *Incredulorum* impietatem an Deus velle possit? at sanctissimus est, atque infinitè perfectus. An istam Deus absolutè nequeat impedire? verùm quid prohibet, quominus vel suum concursum neget, aut id genus monstra ex numero mortalium in terris viventium projiciat, quemadmodum rebelles Angelos de supernis præcipites egit? novit *Theistarum* furor & proterviam Deus: velle hanc nequit: suâ, cui resistere nemo potest, non impedit potentiâ; igitur permittit, *h. e.* indulget, ut *Increduli* libero suo utantur arbitrio, malumque eligant, certissimas aliquando daturi poenas vel in hac, vel nisi resipuerint, in altera quoque vita. Apposuit nimirum Deus homini aquam & ignem, ut pro arbitrio suo eligat. Istam vero permissionem divinam quis nisi impius & blasphemus *Theista* tacitum dicere consensum audeat; an indifferens & æqualiter ad bonum malumque adfectus sit, qui optat hortaturque, ut homo libertate sua bene utatur? qui libero suo abutenti arbitrio supplicia comminatur gravissima? mala autem moralia quodsi Deus fieri permittit; cur tentationes permittere nequeat? quid Deo necessitatem imponat omnem daemonum infestationem suggestionemque prohibendi? an divina sapientia? at ex malo elicere bonum sapientissimè novit; an quo erga homines fertur, amor? verùm amantis est, amato & occasionem vincendi dare & vires. Quoties confusi daemones recedunt victi ab

homine, qui Deo subesse detrectabant? sed neque Deus patitur umquam tentari homines supra id, quod possunt. Victi igitur suâ culpâ succumbunt. Denique fas non est occulta Dei scrutari consilia.

Obj. III. Poterat sanè Deus impedire, ne tam illustre & splendidum opus manuum suarum à dæmone tentaretur; cum igitur permisit, propè ceneri debet omnem illius curam abjecisse. *Resp.* Ita tu blasphemias Incredule. Rectè fuerat constituta utriusque primi parentis natura: præstantissimâ imbuta principiis mens, voluntas pulcherrimis virtutibus ornata, & gratiæ vallata donis: præceptum dederat Creator Optimus: transgressionis pœnas fuerat comminatus, beatam immortalitatem pollicitus, si legi obedirent; nihil non erat in Paradiso, quo animus & corpus ad delicias recrearentur; vesci ex ligno scientiæ boni & mali unicè vetitum erat. Quid? hoc cine est omnem primorum parentum curam abjecisse?

Inst. 1. Quis credat, dæmonem dicere ausum fuisse: *nequaquam moriemini . . . eritis sicut dii?* credendum potius est, infaustum spiritum à Deo in abyssum prius deiciendum fuisse, quàm mendacio tam infami Protoparentes deciperet. *Resp.* Lentam sæpius Dei vindicis manum, longiore vitâ suâ luculentè probant *Theistæ & Increduli*. Istud verò mendacium à patre mendaciorum num absit?

Inst. 2. *Eva* procul dubio ignorare non potuit fraudes dæmonis: & quâ factum sit, ut iisdem capta divinam legem prævaricaretur? *Resp.* Eslo (cur enim *Eva* nescire potuerit nulli animali facultatem loquendi naturalem esse? hæc certè ignorantia merè negativa erat, à statu innocentiae, præsertim mulieris, minimè aliena) dæmonem serpentis organo
no

no utentem ad se loqui putaverit: an ideo fraudem continuò credidit? hæret illa primùm dubia; dein pulchritudine fructus allecta decerpit, periculum factura, & quidem animo eò magis præfidente, quò minus damni & insidiarum hætenus fuerat experta. *Adam* autem non à dæmone vel serpente, sed à muliere tentatum se, ac seductum queritur.

Obj. IV. Saltem mera species & imago serpentis fuit, quam ludificandis *Eva* sensibus diabolus exhibuit, id quod non obscurè innuunt hæc verba *Gen.* 3. v. 1. *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ*, quæ certè ex Physiologorum placito in verum serpentem non cadunt. *MOYSES* itaque istà figuratâ locutione duntaxat usus est, ut suggestionem diaboli explicaret, qui serpentis instar per interiores hominis sensus tacitè irrepit, ut animam persuasionis suæ veneno occidat. *Resp.* At verum serpentem fuisse, ostendunt dicta *num.* 46. Et quorsum alioquin comparatio cum ceteris animantibus? nonne *Christus* ipse *Matth.* 10. ad Discipulos suos: *Estate prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*? ad Physiologorum placita si attendimus; hi ex multiplici argumento serpentis calliditatem testatam faciunt. Primum est quod sentiens carminibus incantatorum se captum iri, ne ea exaudiat alteram aurem terræ aut petrae admoveat, alteram caudâ obturet. Unde *DAVID Ps.* 57. *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas: quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Alterum est, quòd serpens, ubi saxo aut ferro petitur ab homine, totum corpus in orbes circumvolvatur, ut caput ab ictibus præservet, ex quo

totius corporis salus dependet. Tertium, quòd fiti-
 fatigatus, cùm è specu ad aquam progreditur, ve-
 nenum quasi exspuere ac deponere dicitur, ne aquas
 inficiat. Quàm astutè verò insidiari hominibus so-
 leat, testis est ipsa S. Scriptura. *Fiat Dan colu-
 ber in via, cerastes in semita mordens ungulas
 equi, ut cadat ascensor ejus retro. Gen. 49. v. 17.*
*Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus ha-
 bet, qui occulte detrahit.* S. AUGUSTINUS L. II.
 de Gen. ad lit. c. 29. ita discurret: Proinde pru-
 dentissimus omnium bestiarum, hoc est, astutissimus
 ita dictus est serpens propter astutiam diaboli, quæ
 in illo, & de illo agebat dolum, quemadmodum
 dicitur prudens vel astuta lingua, quam prudens
 vel astutus movet ad aliquid prudenter astuteque
 suadendum. Non enim est hæc vis seu virtus
 membri corporalis, quod vocatur lingua, sed uti-
 que mentis, quæ utitur eâ. Ita etiam dictus est
 stilus mendax scribarum: neque enim esse menda-
 cem pertinet nisi ad viventem atque sentientem; sed
 stilus mendax dictus est, quod per eum mendax men-
 daciter operetur, quemadmodum si isse serpens men-
 dax diceretur, quòd eo diabolus tamquam stilo men-
 daciter uteretur. Sic ergo locutus est serpens homini,
 sicut asina, in qua sedebat Balaam, locuta est homini,
 nisi quod illud fuit opus diabolicum, hoc Angelicum.

Inst. I. Angeli tam boni, quàm mali dum cor-
 pora assumunt, similitudinem duntaxat animalium
 aut corporum induunt; igitur & diabolus serpen-
 tis similitudinem assumpsisse dicendus est. Resp.
 Diabolum, ubi *Evam* tentare moliebatur, veri ser-
 pentis organo usum esse, satis ostendit Scriptura,
 neque ratio sufficiens est à propria verborum signi-
 ficatio-

ficatione recedendi. Quam dabis rationem sufficientem, quòd dæmon potius per serpentem, quàm per aliud animal *Eva* tentaverit? nempe diabolus non agit, nisi quod & in quantum agere permittitur. *Non debemus opinari* (inquit S. AUGUSTINUS L. 11. de Gen. c. 3.) *quòd serpentem sibi, per quem tentaret, diabolus elegerit; sed cum esset in eo decipiendi cupiditas, nonnisi per illud animal potuit, per quod posse permissus est.*

Inst. 2. Quì fieri potuisset, ut *Eva* serpentem audiens loquentem non horreret, & fugeret pavo-
re correpta? quomodo tantâ respondit tranquillitate, & colloquium prope familiare cum serpente miscuit? *Resp.* *Eva* serpentis conspectum & præsentiam non horruit, eo quod in statu innocentiae animalia omnia homini subiecta essent, nec damni quidquam facere possent. Ita S. CHRYSOSTOMUS *Hom. 16. in Gen.* Addit S. DAMASCENUS L. 2. de Fide c. 10. *Quòd serpens homini familiaris erat, ut, qui præ cæteris animantibus ad eum accederet, blandisque motibus cum eo veluti colloqueretur. Ex quo factum est, ut omnis mali autor diabolus ipsius operâ uteretur. Loquelam verò serpentis tametsi admirata fuerit, & attonita fortassis steterit; vicit tamen promissio: eritis sicut dii.* Addit S. CYRILLUS L. 3. contra *Julian.* *Cum tunc non esset aliud rationale animal, mulier impendio simplex existimabat fortasse, & aliis animalibus datum esse, humanâ voce loqui posse.* Ex adverso RUPERTUS L. 3. in Gen. c. 3. ait: *Item & illud queritur, utrum nesciverit mulier, quòd serpens æque ut cætera animantia irrationalis esset, & suâ facultate loqui non posset. Si hoc nescivit,*

minorem (quod absurdum est) intelligentiam in illo lucido Dei Paradiso habuit, quam nunc habet in hac obscuritate vitæ plenæ miseriis, ubi licet caro, quæ corrumpitur, aggravat animam, scit tamen nullam, præter suam, rationalem esse vitam. Si autem (quod verum est) scivit, serpentem nonnisi alieno spiritu potuisse loqui; profecto in eo miræ seductionis immensitas est, quod quasi omnipotentiam spiritus ejus mirata est mulier, qui per irrationale animal humana formare verba potuisset. Tametsi autem aliquem sibi spiritum per serpentem loqui crediderit; non ideo etiam dicenda est discrevisse, an bonus vel malus esset spiritus, vel quia de lapsu Angelorum revelationem necdum habuerat, vel certè de hoc non cogitavit. Immo S. BONAVENTURA in 2. d. 21. a. 1. q. 2. ad 1. ait, mulierem non credidisse eum, qui loquebatur cum serpente, esse adversarium, sed potius bonum consiliarium. Et ideo tam occulta erat illa tentatio, sicut si diabolus loqueretur ad cor interius.

Inst. 3. Si Eva credidit per serpentem sibi spiritum loqui, non potuit non suspicari fraudem: videns enim non in specie hominis (sicut Angeli apparere solebant) sed per serpentem loqui secum, quemdam mox dolum timere debebat. Resp. Utrum Angeli boni ante peccatum apparuerint Adæ & Evæ, non satis liquet: quod enim dicitur Gen. 1. Benedixitque illis Deus, & ait: crescite & multiplicamini; item: Dixitque Deus: ecce dedi vobis omnem herbam. Et c. 2. Et adduxit eam (Evam) ad Adam; intelligi potest de locutione interna, & speciali motione, quam à Deo profectam esse, certi erant primi parentes. Sed esto, apparuerit ante
bonus

bonus Angelus, non ideo postea perturbari debuit *Eva*; cum enim generatim sciret, solere Angelos per corpora loqui, dubitare poterat, an per eadem omnes, an per diversa loquerentur; & cur ille, qui sibi loquebatur, sub alia veniret specie, quam prior, quem fortassis loquentem sibi habuit.

Obj. V. Pœna à Deo inflicta serpenti sat manifestat, non verum, sed figuratum serpentem fuisse, nam super pectus ingredi, & pulverem comedere serpentis non fuit pœna, cum id serpenti connaturale semper fuerit, nisi velis citra rationem sufficientem, serpentis naturam & proprietates tunc immutatas fuisse. *Resp.* Pœnam & serpenti tentationis instrumento, & diabolo tentatori inflictam esse, docet S. CHRYSOSTOMUS Hom. 17. in Gen. scribens: *Sicut clementissimus pater puniens eum, qui filium suum occiderit, & gladium & ensen, per quæ filius suus occisus est, destruit, & in multas partes dividit; eodem modo Deus egit. Quippe serpens quasi gladius quidam diabolica servivit malitiæ, unde & perpetua ipsi pœna intentata est. Quo per visibile & sensibile hoc ratiocinemur, & expendamus, in quanta ignominia sit & diabolus. Nam si is, qui ut instrumentum ministravit, tantam expertus est indignationem, quale supplicium verisimile est suscepturum diabolus? & THEODORETUS interrogatione 34. in Gen. sic ait: Maledictionem Deus proprie intulit ei, qui malum perpetravit, nam & ille serpens quoque appellatus est: non qui talem à Deo omnium Conditore naturam acceperit. Bonus enim creatus est, & una cum incorporeis Virtutibus conditus. At ubi sponte in nequitiam declinavit, tum honore privatus est,*

est, quem ab initio sortitus erat, & in terram projectus est. Sed & ipsum animal quoque ad hominum utilitatem maledictionem recepit. Itaque videntes serpentem repere, & volutari super terram, maledictionis antiquæ recordamur: & discimus, quanta mala peccatum accersat non solum his, qui illud admittunt, sed & illis, qui subserviunt. At ipse quidem serpens nullum inde damnum accepit, cum ita gradi natus sit. Hanc enim habet à natura motus speciem, Nihil autem naturale molestum videtur esse. Homo verò multum inde commodi consequitur. Sed demus etiam, maledictionem in serpentem à Deo prolatam, sub illius vocabulo & figura ad diabolum duntaxat pertinere, uti S. AUGUSTINUS L. II. de Gen. c. 36. & S. GREGORIUS Magnus existimaverunt; an ideo verus serpens non fuit, quo velut organo ad mulierem seducendam usus est diabolus? ille non poterat esse nisi merum tentationis instrumentum, hic solus tentator, & pœnæ capax, quæ nonnisi culpam sequitur.

*) Infana & ab omni sana Philosophia prorsus aliena est ista *Incredulorum* & *Theistarum* consecutio: in mysteriis & veritatibus Fidei cæterisque factis ex S. Scriptura certis atque indubitatis (uti tenent orthodoxi) non liquet modus, quo sint, aut quo facta fuerint; igitur non sunt, neque facta sunt. Quot sunt in rerum natura, quæ vident constanter omnes, quin modum exploratum habeant? innumera ut taceam: ipsam corporis tui organizationem, admirabile, quod corpus inter & animam existit, commercium an satis unquam explorasti Incredule?

QUAE.

Q U A E S T I O II.

An Præceptum de non comedendo ex ligno scientiæ boni & mali convenienter impositum fuerit primis parentibus, & an isti iustas peccati sui pœnas dederint?

Admo datum fuisse præceptum, ne ex ligno 48.
 scientiæ boni & mali comederet, certum est. Lex
Præcepitque ei (Adæ) dicens: ex omni ligno Pa- gravi.
disi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali ter
ne comedas; in quocunque enim die comederis ex obli-
eo, morte morieris. Gen. 2. v. 16. & 17. gans.
 Quæ ipsa pœnæ gravitas luculentè demonstrat, præceptum illud grave fuisse, & sub mortali reatu obligasse. Et re ipsa Adamum prævaricando hanc legem, culpæ mortalis vinculo sese obstrinxisse, dogma catholicum est definitum in TRIDENTINO Sess. 5. Can. 1. Tametsi enim præcepti illius materia secundum se spectata levis esse videatur; in quantum tamen substatat divino præcepto, & voluntati, quæ abstinentioniam illam in signum obedientiæ & subjectionis ordinaverat, materia erat gravissima, & ad præcepti sub mortali culpa obligationem sufficientissima. Unde S. AUGUSTINUS L. 14. de Civ. c. 12. *Non ideo, inquit, debet aliquis existimare leve, aut parvum fuisse illud commissum, quia in esca factum est, non malâ quidem, neque noxiâ, sed quia prohibita est; nam obedientia commendata est in præcepto, quæ virtus in creatura rationali mater quodammodo est omniumque custos virtutum.* Ex his ultro fluit, convenienter quoque punitos à Deo fuisse primos parentes ob istud peccatum suum. Utrumque autem negant Theistæ, & Increduli.

Præce-

49. *Præceptum de non comedendo ex ligno scientiæ*
 Adæ boni & mali primis parentibus convenientissimè im-
 con- positum fuit. Quid enim conveniens magis, quàm
 veni- ut homo subjectionis & obedientiæ homagium præ-
 enter- stare Deo, cui sua debebat omnia, à quo essentia-
 data liter dependebat? unde S. CHRYSOSTOMUS *Hom. 14.*
 fuit. in *Gen.* ait: *Hæc faciebat (Deus) quasi dominus*
aliquis liberalis domum magnam alicui concedens,
ut dominium sibi saluum maneat, parvam tantum
pecuniam ab illo dandam præscribat. Et S. AU-
 GUSTINUS *L. 8. de Gen. ad lit. c. 6.* Oportebat au-
 tem, inquit, ut homo sub Domino Deo positus
 aliunde prohiberetur, ut ei promerendi Dominum
 suum virtus esset ipsa obedientia. Et infra: Non
 esset ergo, unde se Dominum habere homo cogita-
 ret, atque sentiret, nisi aliquid ei juberetur. Et
 in *Tract. in Ps. 70.* Bona est arbor, nolo tangas.
 Quare? quia Dominus sum, & servus es. Hac
 tota causa est. Si parva est, dedignaris esse ser-
 vus. Quid autem tibi expedit nisi esse sub domi-
 no, nisi fueris sub præcepto? Quid etiam poterat
 utilius accidere homini, quàm præstita huic legi ob-
 servatu facillimæ obedientiæ mereri gratiam Domini,
 ejusque, in quo degebat, statûs felicissimæ perennitatem?

50. *Primi parentes justas admissi sceleris pœnas de-*
 Adam *derunt.* Quid enim? an Deus acerbis in eos pœ-
 meri- nis jure non animadverteret, qui legem sibi constitu-
 tû pu- tam temere adeo prævaricati fuerant? nihil non erat,
 nitus quod primos parentes à scelere averteret quod impelle-
 est. ret ad obediendum: ad imaginem & similitudinem
 erant conditi: cœlestibus exornati gratiis absque meri-
 to suo: factæ ipsis de impatibilitate & immortalitate
 promissiones: recta ipsis dominabatur ratio, cui
 infer-

NATURAE INNOCENTIS. III

inferior appetitus plenè subjectus erat; animantia ipsis omnia fuerant subjecta: in horto amœnitatis positus licebat ex omni Paradisi ligno vesci; istud unum præceperat Deus, ne ex ligno scientiæ boni & mali vescerentur. Ad violandam hanc legem neque metus incitabat, nec stimulabat cupiditas; mentem gerebant optimis imbutam principiis, nullo errore, nullis præjudicatis opinionibus abreptam, nullâ præpeditam cæcitate; voluntas optimè adfecta erat; totius naturæ in bonum congenita inclinatio; quin ea hujus statûs perfectio erat, & felicitas, ut suggestio dæmonis nonnisi externa foret. Peccant tamen primi parentes, legemque divinam impiè transgrediuntur. Atque isti gravissima non fuerint commeriti supplicia? an Deus istos spoliare non posset donis, quæ ex mera bonitate, ex liberali & gratuito duntaxat affectu concesserat? an mortis temporariæ & æternæ supplicio prohiberetur castigare eos, qui in Deum impii & rebelles, legis divinæ jugum excutere non dubitaverant?

Respondetur ad objecta.

Obj. I. Quis credat, arborem adeo periculosam in Paradiso plantatam à Deo fuisse, quæ una omnes istius horti amœnissimi delicias turbaret? istud nonne ab Ente sapientissimo alienum sit, plantare hortum amœnitatis, & in primorum parentum gratiam plantare, simulque in eo lignum collocare ejusmodi, ex quo nullum non malorum genus in totum terrarum orbem inveheretur? præsertim cum Deus præscivisset, hominem à se vix conditum ex eodem ligno comesturum esse damno suo longè gravissimo. Solet profectò bonus parens nihil non præmeditari,

ut

ut liberos suos ab injuriis & nocumentis præservet.
Resp. Ergo iterum *Incredibile* factum negas, quod
 Autor omni exceptione major (MOYSES, atque is
 theopnevstus) literis consignavit, cui omnis deinceps
 Respublica Judaica, & Christiana subscripsit,
 quod nisi certissimâ Fide teneri potest; prope nihil sit
 ullâ umquam ætate gestum, quod credi prudenter
 possit. *Vid. dicta in Tract. de Fide, de autore
 & authentia Pentateuchi.* Istud verò quàm ineptè
 garris, à sapientia divina alienum fuisse, lignum
 scientiæ boni & mali in Paradiso plantare.
 Quid? an homo opera Dei reprehendere audeat?
 Supremus rerum omnium Dominus an periclitari
 creaturæ suæ obedientiam subjectionemque arbitrato
 suo non poterat? arbor ipsa erat innoxia: ex omni
 Paradisi ligno vesci licebat homini; de ligno scientiæ
 boni & mali ne comederet, Deus vetuerat; supplicia
 fuerat comminatus transgressori, fidelitatem
 contra bonis omnibus remuneraturus; quis hic
 Deum Legislatorem sapientissimum non prædicet?
 quis immensam Dei bonitatem non admiretur, quæ
 fecit, ut, cùm homo bonis abundaret omnibus, &
 sorte beatissimâ fruëretur, exiguum adeo homagium
 Creatori ac Domino suo præstare deberet? Quod si
 boni parentes solliciti sunt, ut damna à liberis
 avertant; nonne Deus Pater optimus primis paren-
 tibus satis prospectum iverat, ut in bono perseverare
 possent, si vellent? arbitrii tamen libertatem
 concesserat, ut obedientiæ merito paternos favores
 deinceps consequerentur.

Inst. 1. MOYSES arborem illam vocat lignum
 scientiæ boni & mali: verosimile autem non est
 similem umquam arborem extitisse, tum quia pri-
 mis

NATURAE INNOCENTIS. 113

mis parentibus non deerat cognitio boni & mali; quomodo enim alioquin peccare potuissent? tum quia arbori talem inesse vim, ut boni & mali cognitionem adferre, & veluti ingenerare queat; absque sufficiente ratione adseritur. *Resp. THEOPHILUS Antiochenus* L. 2. ad *Autolycum* scribit, Nihil in vetito illo fructu fuisse aliud præter cognitionem. Esse verò cognitionem bonam, cum eâ, uti par est, utitur aliquis. Porro per id tempus Adamum adhuc infantem fuisse; & idcirco ad illam cognitionem minus idoneum. Nam & parvulus, cum primum natus est, nondum pane vesci potest, sed prius lacte alitur; deinde progressu ætatis ad solidiorem cibum pervenit. Hujusmodi ergo quiddam Adamo contigisset. *PROCOPIUS* in *Comment.* ad h. l. observat, Deum Adamo præcipientem, ut ab arbore scientiæ se contineret, non eî cælorum ostendisse regnum, quod illius captum ac facultatem excederet, cum ne *Judæis* quidem tanto post tempore illud promiserit; sed sic tamquam infantibus terram melle & lacte manantem ostenderit. Itaque lignum illi monstravit alterum è propinguo, magnitudine aspectuque præstabile, cujus fructum, si mandatum servaret, ei pollicitus est. *NEMESIUS* vult, Adamum idcirco ab usu illius arboris prohibitum fuisse, quod ei non conducere propriam adhuc nosse naturam. Erant enim, immo hodieque sunt vires in plantis maximæ. Tunc autem, utpote initio conditûs mundi, recentes adhuc & sincera, vim & efficacitatem habebant maximam. Quamobrem fructus certè degustatio naturæ propriæ cognitionem ingenerabat. Nolebat itaque Deus, ipsum, antequam perfectionem adeptus esset, propriam naturam cognoscere;

scere; ut, cum multis se rebus egentem animadvertet, rerum ad corpus necessariorum curam caperet, animam sollicitudine relictâ. Hunc sequitur S. DAMASCENUS L. 2. c. 11. Verum istæ prorsus singulares, & minimè probatæ opiniones, quibus meritò præfertur communior illa certiorque sententia, videlicet primis parentibus meriti ac virtutis, præsertim obedientiæ, materiam à Deo suppeditam fuisse. Neque enim ad vivendum solummodo (inquit TERTULLIANUS L. 2. contra Marcion. c. 8.) produxerat hominem, ut non ad rectè vivendum, in respectu scilicet Dei, legisque ejus. Igitur vivere quidem ille ipse præstiterat factò in animam vivam; rectè verò vivere demandarat admonito in legis obsequium. Et ipse THEOPHILUS: Nam, inquit, si filios oportet morigeros esse parentibus; quantò magis Deo, & universorum parenti? iterum TERTULLIANUS L. cit. c. 5. inquit: In hoc & lex constituta est, non excludens, sed probans, libertatem de obsequio sponte præstando, vel transgressione sponte committenda; cum antea dixisset, quandoquidem hominem liberum, & sui arbitrii, & suæ potestatis Deus instituerat, hunc statum ejus confirmasse ipsam legem tunc à Deo positam. Huic consentit S. GREGORIUS Naz. Orat. 38. dicens: Legem dedit quasi materiam arbitrio libero; lex autem illa præceptum erat, quo præscribebatur, quibus arboribus utendum esset, tumquam attingere non oporteret. Addit S. CYRILLUS Alexandr. finem hunc tradendæ legis fuisse, ut homo & obnoxium se alteri esse intelligeret; & ne tot honorum ac deliciarum affluentia illum redderet insolentem. *Vid. num. 49.*

Inst.

Inst. 2. An fortè Deus hanc primorum parentum obedientiam, vel inobedientiam absque periculo hoc tentamine præscire non potuit? Cur Deus legem illam tulit, quam minimè servaturum esse *Adamum* sciret? *Resp.* An Deus obedientiae vel inobedientiae merito conditionatè duntaxat, & nunquam absolute futuro præmium decerneret, aut supplicium? fuit hic *Semipelagianorum* error, quem orthodoxi semper omnes damnarunt. Ut igitur homo debitam Deo Creatori ac Domino suo obedientiam exercere posset, necessaria lex fuit, cui obtemperaret; neque Deus, nisi lege positâ, præscire hominis obedientiam, aut inobedientiam potuit. Altera illa *Incredulorum* objectio haud absimilis est huic, quam jam olim *Manichæi* urgebant: *Quare Deus fecit hominem, quem peccaturum sciebat?* cui S. AUGUSTINUS L. de Gen. contr. *Manich.* c. 8. ita respondet: *Quia & de peccante multa bona facere poterat, ordinans eum secundum moderamen justitiae suae; & quia nihil oberat Deo peccatum ejus, & sive non peccaret, mors nulla esset, sive quia peccavit, alii mortales de peccato ejus corriguntur. Nihil enim sic revocat homines à peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio. Cæterà sic factus est homo, ut, si noluiisset, non peccaret. Sic facta est mulier, ut, si noluiisset, diabolus non admitteret. Principi datum est, ut honestis legum vinculis subditos constringat: & Summus Monarcha Deus creaturam rationalem sibi essentialiter subjectam certâ lege coërcere non potuerit? hanc ubi prævaricati sunt primi parentes, nonne vitio & culpâ illorum gravissimâ factum est? ut obedirent præcepto, justissimè exigebat Creator*

& Dominus: divinam hanc intentionem & voluntatem quia scelere suo frustrati sunt; veluti rebelles meritò puniti sunt. Posuit itaque Deus hanc arborem in Paradiso, ex eaque vesci prohibuit, non explorandi gratiâ, quid facturi primi parentes essent, nam sempiterna & immutabilis est Dei scientia; sed eo fine, ut facillimæ huic & iustissimæ legi obediendo, subjectionis suæ homagium præstarent. Quòd verò Deus illos minimè servaturos legem esse præsciverit, non ideo à lege ferenda abstinere debebat, alioquin nec liberum obedientiæ obsequium Creator à creatura, à servo Dominus postulare debuisset.

Obj. II. At comestio ex ligno scientiæ boni & mali res est levissima, præsertim in tantis Paradisi deliciis, quas liberalis Dei benignitas in primævo innocentiae statu homini concesserat; proinde graviter prohibita censi non debet. *Resp.* Equidem materia illius præcepti secundum se spectata, levis videri poterat; in quantum verò substabat divino præcepto, ac voluntati hanc abstinentiam in signum obedientiæ & subjectionis imperanti, non poterat non gravissima æstimari obligatio. Hanc gravem obligationem confirmat gravissima, quam Deus intentaverat, poena, sc. mors animæ & corporis. Et quidem mors corporis disertè dictata fuit tamquam poena, *Gen. 3. v. 19.* ob gravem culpam contra legem Dei: *Quia . . . comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes . . . In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es.* Gravis autem culpa statim ac commissæ est, generat mortem animæ. Atque sic comprobata fuit Dei sententia *Gen. 2. v. 17.* *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas; in quo-*

quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris. Mortem videlicet animæ continuò subiit homo prævaricator; simulque debitum mortis corporalis, siue etiam mortalitatem eo ipso die subiit, spoliatus dono immortalitatis.

Obj. III. Quando Deus dixit Gen. 2. v. 16. & 17. Ex omni ligno Paradisi comede. De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas; verba posteriora non videntur habere vim maiorem, ac priora: hæc autem priora non habent vim præcepti; igitur nec ista. *Resp. N. maj.* Nam prioribus verbis significavit Deus, licere *Adamo* ex omni Paradisi ligno comedere; à qua generali facultate excepta fuit arbor scientiæ boni & mali. An præcepti prohibitivi formula aptior esse poterat ista: *ne comedas: in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris?*

Obj. IV. Verùm quæ proportio delictum inter & poenas tot temporales ac sempiternas? Resp. Incredible! metiaris prius offensæ gravitatem, quàm de proportionem statuas. Quæ verò mens creata par sit æstimandæ illi injuriæ, quàm homo prævaricator fecit divinæ Majestati? pone omnes omnino creaturas, Angelicas & corporeas, Principes, Reges & Monarchas à te offensos esse, & gravissimis affectos injuriis, atque has ab offensâ Dei sejunctas finge: necdum offensæ divinæ gravitatem vel minus attigisti. Arbitrio suo, & voluntate ipse sibi homo has æraminas conscivit, beatissimus semper futurus, nisi mandatum Dei libere violasset. Sempiterna si damnatorum poena est; delictum quoque est sempiternum. Etenim Dei inimicus quo jure delicti veniam sperare possit, utprimum extra viam constitutus est? istud tamen *Adam* immortalis Dei

beneficio consecutus est, ut à peccati jugo liberatus in filiorum Dei libertatem vindicaretur. Unde Sap. 9. & 10. *Nam per Sapientiam sanati sunt, quicumque placuerint tibi Domine à principio. Hæc illum, qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cum solus esset, custodivit & eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia.* Quod quidem dogma Catholicum S. Scripturæ, & Traditionis autoritate firmatum, pluribus illustravit S. IRENAEUS L. 3. advers. Hæres. c. 34. contra *Tatianum*, & *Encratitas*. Quod igitur ait RUPERTUS Abbas, sententiam de *Adami* damnatione probabilem esse; nullius ponderis est; nec mirum, *Rupertum* hac in re deceptum esse, cum *Sapientiae* librum ex Canone sacrorum librorum expunxerit.

Inst. Cur damnati pro peccatis suis fatispati nequeant? nonne id ipsum de animabus in purgatorio detentis adstruunt Orthodoxi? *Resp.* Quæ in flammis piacularibus detinentur, animæ in gratia sanctificante ex hac vita migrarunt, proinde jus ad capiendam hæreditatem, & mercedem accipiendam habent; cum verò nihil coinquinatum introire in Regnum cœlorum possit; solvendum est omne debitum per viam aut satisfactionis, aut satisfationis: prior illa quia in termino (*venit enim nox, ubi nemo operari potest*) locum non habet; alterum solvendi modum Deus his indulgit. At homo peccator in statu peccati mortalis decedens est, semperque erit inimicus Dei, odio & pœnâ dignus: atque hunc ubi æternis suppliciis destinavit Deus, præcisâ omni spe vel gratuita remissionis, vel satisfationis acceptandæ; id unum nobis reliquum est,

est, ut exclamemus: *Iustus es Domine, & rectum
iudicium tuum.* Ps. 118. v. 37.

QUAESTIO III.

*An ex Gen. 3. C. v. 15. rectè ostendatur, Do-
minicæ Incarnationis mysterium Adamo re-
velatum fuisse?*

Eva suum excusatura peccatum, meritasque pos- 51.
nas à se propulsura ubi culpam in serpentem Variæ
conjecerat, dicens: *Serpens decepit me, & come-* inter-
di; mox Dominus ad serpentem: *Quia fecisti hoc,* preta-
maledictus es inter omnia animantia, & bestias tio-
terræ: super pectus tuum gradieris, & terram nes.
comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Tum v. 15. In-
micitias ponam inter te, & mulierem, & semen
tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum,
& tu insidiaberis calcaneo ejus. Varias hujus ver-
ficuli interpretationes apud Ss. Patres reperias.
Alii illam serpentis maledictionem secundum sen-
sum historicum ad verum serpentem pertinuisse vo-
lunt non minus, ac illa Moysi narratio Num. 21.
de serpente æneo in sublime erecto ad hunc ipsum histo-
ricè pertinuit. Sensum tropologicum hunc reddit S.
GREGORIUS L. I Moral. c. 38. *Caput serpentis con-*
terimus, cum initia tentationis à corde extirpamus,
& tum ipse insidiatur calcaneo nostro, quia
finem bonæ actionis callidius & potentius oppugnat.
Et S. AUGUSTINUS in Ps. 48. *Si diabolus tuum cal-*
caneum observat, tu caput illius observa. Caput
illius est initium malæ suggestionis: quando inci-
pit mala suggerere, tunc repelle, antequam sur-
gat

gat delectatio, & sequatur consensus. Itaque vitabis caput ejus, atque adeo non apprehendet ille calcaneum tuum. Ex aliorum placito inimicitia hæc mulierem inter & serpentem allegoricè designat odium & bellum continuum inter Ecclesiam & diabolum. Alii verba illa mysticè interpretantur de poenitentia Evæ, qua serpentem diabolum veluti contrivit. Inimicitias ponam inter te, & mulierem (inquit Hugo de S. Vict.) semen tuum, & semen illius. Hic innuitur, quod Eva resipiscens poenitentiam egerit, unde diabolus doluit. Quasi dicat: tu gaudebas modò, quia eam dejeceras, sed frustra, quia victus eris à muliere. Semen autem diaboli vocat alios demones, mulieris semen alios homines, quorum quidam futuri erant sancti, & illi conterent caput, id est, superbiam diaboli de homine dejecto. Et tu infidiaberis calcaneo ejus, id est, semper sequeris, ut decipias.

52. Dominica Incarnationis Mystrium Adamo lapso fuisse revelatum, ex Gen. 3. c. v. 15. rectè ostenditur. Nam 1^o. adserto huic favet lectio LXX. αὐτὸς σε τερήσει κεφαλὴν, καὶ σὺ τερήσεις αὐτὸν πτέρυν. Ipse tuum affliget, seu conteret caput, & tu vexabis calcaneum ejus. Quis verò ipse, nisi ejus virtute & primi parentes, & posterii omnes conterere caput serpentis diaboli possent, ac re ipsa multi erant contrituri? Unde versio Chaldaica habet: Et inter filium tuum, & inter filium ejus, sc. Mulieris: nam solus Christus secundum humanitatem filius mulieris est, utpote ex sola matre genitus, non item ex patre. Quin etiam lectio hebraica istud suadet: Ipsum (nempe semen mulieris) conteret tibi caput, & tu infidiaberis ejus calcaneo,

calcaneo, quia iterum solus Christus secundum Humanitatem propriè semen mulieris est, natus ex Virgine Matre. Unde LIPGMANUS in c. 3. *Gen.* Hæc verò, inquit, certo, & per omnia secula cantato mysterio, inimicitiam significant inter Satanam & semen mulieris, Christum Dominum hoc loco mulieri promissum. Quid enim magni erat, si inter mulierem ac serpentem essent insidiæ; & mutuo caput & calcaneum conterenda dicantur? verùm hic statim ab initio promittitur liberatio ab hoc recens commissio peccato primi hominis per semen illud benedictum, per quod benedicendæ quoque erunt omnes gentes, ut sit sensus: Per mulierem decepisti; per semen mulieris succumbes, perque illius prolem caput, potestas, virtus & tyrannis tua conterenda sunt, tu autem conteres calcaneum ejus, Christi Humanitatem, quæ peccatis nostris afflicta est. 2^o. Accedit aliorum PP. autoritas. S. IRENAEUS L. 4. advers. Hæres. c. 78. sic habet: *Quemadmodum Sacra Scriptura ait serpenti dixisse Dominum: Et inimicitiam ponam inter te, & mulierem; & inter semen tuum, & inter semen mulieris. Ipse tuum calcabit caput, & tu observabis calcaneum ejus; & inimicitiam hanc Dominus in semet ipsum recapitulavit, de muliere factus homo, & calcans ejus caput, quemadmodum in eo, qui ante hunc est, libro ostendimus.* S. CYPRIANUS L. Testimoniorum adversus Judæos c. 9. inquit: *Hoc semen prædixerat Deus de muliere procedere, quod calcaret caput diaboli.* S. LEO Serm. 2. de Nativ. Dom. ita differit: *Deus omnipotens, & clemens, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia*

est, statim ut nos diabolica malignitas veneno suæ mortificavit invidia, prædestinata renovandis mortalibus suæ pietatis remedia inter ipsa mundi primordia præsignavit, denunciando serpenti futurum semen mulieris, quod noxii capitis elationem suâ virtute contereret, Christum sc. in carne venturum Deum hominemque significans, qui natus ex Virgine violatorem humanæ propaginis incorruptæ nativitate damnaret. EUCHERIUS Sec. VI. apud Lipomanum in Gen. c. 3. ait: Quidam autem hoc, quod dictum est: Inimicitias ponam inter te & mulierem, de Beata Virgine, unde natus est Dominus intellexerunt, eo quod illo tempore ex ea Dominus nasciturus ad inimicum devincendum, & mortem, cuius ille autor erat, destruendam promitteretur, sicut in David scriptum est: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Nam illud, quod subjunctum est: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus, hoc de fructu ventris Mariæ, qui est Christus, intelligunt, id est, tu eum supplantabis, ut moriatur; ille autem victor resurget, & caput tuum conteret, quod est mors, sicut & David dixerat ex persona Patris ad Filium: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Aspidem dixit mortem. RUPERTUS apud eundem: Cum igitur dicit Deus: Ponam inimicitias inter te & mulierem, profectò magnum gratiæ suæ opus promittit; quod victorem diabolum, qui vicerat fraude, victa nunc mulier vincere quandoque debeat fortitudine. Porro hæ inimiciæ non per ipsam mulierem, sed per semen ipsius exercendæ, & usque ad victoriam perducendæ sunt. Proinde

de cūm dixisset: Inimicitias ponam inter te & mulierem; continuo subjunxit: Et semen tuum, & semen illius. Quo enim de semine hac dicuntur nisi de uno, qui est Christus? ipse namque solus ita semen mulieris est, ut non etiam viri semen sit; quare recta additio est, cūm dictum sit à Domino Deo: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen illius, subauditur Christus. His fere consona sunt verba S. BERNARDI Hom. 2 super, Missus: Ipsa (B. Maria) procul dubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni serpentis suggestionem tam de carnis illecebra, quàm de mentis superbia deduxit ad nihilum; cujus mulieris semen Christus fuit. Et rectè, solus namque hominum ex femina tantum sine virili commixtione generatus est. Et hic contrivit caput serpentis (nam hebraicè illud pronomèn IPSE, non ad mulierem, sed ad semen refertur) caput autem diaboli fuit peccati & mortis potestas, quam ille in omnes habebat; & hanc Christus contrivit, atque destruxit. Nimirum Deus c. 3. Gen. non minùs diabolo tentatori, quàm serpenti veluti organo supplicia partim inflixit, partim comminatus est; & quidem cūm diceret Deus: Ipsa (vel Ipse) conteret caput tuum, diabolum omnino victum iri prænuñciavit. Quis verò nisi Christus de morte & inferno triumphavit? Rectè itaque ait PERERIUS L. 6. Comment. in Gen. Q. 4. Proditum est à multis, jam hoc loco (Gen. 3. v. 15.) & in ipso mundi exordio cæptum esse prædicari Evangelium de Messia venturo mundi Salvatore, & diabolici imperii everfore; atque ob eam causam in Apocalypsi appellari Agnum occisum ab origine mundi, quia scili-

scilicet pretiosissima ejus mors jam inde à mundi origine significari, & vim suam exerere, ac salutarem effectum habere cœpit.

Respondetur ad objecta.

Obj. I. Tota illa *Moyſis* narratio *Gen. 3. c.* historica est; proin Myſterium Incarnationis ex *v. 15.* perperam colligitur revelatum fuiſſe. *Reſp.* Pertinuerit illa serpentis maledictio secundum sensum historicum ad verum serpentem: at secundum sensum mysticum, à Deo tamen principaliter intentum, ad diabolum referendam esse, contendit *PERERIUS*, quia ad scelus illud perficiendum & diabolus princeps ejus sceleris autor, & serpens tanquam diaboli organum convenerunt. Igitur Deus jam tunc comminatus est diabolo, caput ejus contritum iri, & quidem à semine mulieris, qui propriè est solus Christus.

Inst. I. Quæ ista confusio sensûs mystici cum historico? *Reſp.* Uterque discretus est, non confusus. Exemplum habes *Num. 21.* ubi legitur, ad sanandos lethales morsus serpentium, à quibus percussi fuerant Hebræi, *Moyſen* Dei jussu serpentem æneum in sublime elatum Hebræis cernendum proposuisse; cujus illi aspectu sanabantur. Hæc igitur narratio secundum historicam & literalem sensum ad serpentem æneum pertinet. Eandem verò secundum sensum allegoricum & mysticum principaliter ad Christum referri debere, docet ipse Dominus *Joann. 3. c. 14.* factum illud ad sese, ut illustrem suæ passionis & mortis imaginem applicans: *Sicut Moyſes exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet*

tet

tet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Inst. 2. Sensus mysticus non est à Spiritu S. intentus, igitur nihil probat. *Resp. N. A.* Sensus ille mysticus nisi à Spiritu S. intentus fuisset, ubi Scriptores Sacros inspiravit; num isti ex eodem argumenta sumpturi fuissent? atqui hoc fecerunt: sic Apostolus 1. ad Cor. 9. & 1. ad Tim. 5. ex verbis Deut. 26. *Non alligabis os bovi trituranti*, ostendit Evangelii Præconibus victum esse suppeditandum: *Quis militat suis stipendiis unquam?* . . . Scriptum est enim in lege Moyse: *Non alligabis os bovi trituranti* . . . An propter nos utique hoc dicit? nam propter nos scripta sunt. Consentiunt Ss. Patres. Quin ipsi etiam RR. Veteres sensum mysticum tanto in pretio habuerunt, ut illum *verbum magnum* dicerent, sensum verò literalem *verbum parvum* nuncuparent.

Inst. 3. Quis divinabit sensum mysticum à Spiritu S. intentum esse? *Resp.* Aliquando Scriptura ipsa mysticum alterius Scripturæ sensum declarat. Sic Christus Matth. 12. figuram *Jonæ* sibi applicat respondens illis: *Generatio mala, & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei nisi signum Jonæ Prophetæ.* Et Joann. 3. figuram *serpentis ænei*. Idem alii Scriptores theopnevsti fecerunt. Quo quidem in casu ex sensu mystico æque efficax argumentum, atque ex sensu historico & literali depromitur. Præterea verum Scripturæ sensum aperit, & declarat Ecclesia Romano-Catholica, ut liquet ex Decreto Conc. *Tridentini Sess. 4.* Dein Ss. PP. autoritate stare fas est, quos Deus pastores fidelium constituit. Denique ratio non postrema

126 DE STATU NAT. INNOCENT.

strema habenda est antecedentium, & consequentium, quibus multum ponderis addit vis & potestas verborum primordialium in ipsis fontibus, ubi hi genuini prudenter æstimantur.

Inst. 4. Atqui prædictum sensum mysticum versiculi 15. neque Scriptura, neque Ecclesia, neque communis PP. sententia sufficienter declaravit. *Resp.* Momenta, quæ sensum illum mysticum suadent, prodita sunt *num.* 52. His adde, per *Evam* ubi *Gen.* 3. v. 20. *mater cunctorum viventium* ab *Adamo* dicta est, ex communiore PP. & TT. sententia typicè designatam fuisse *B. Mariam*, quæ fructum benedictum vitæque Autorem peperit. Igitur jam v. 15. per mulierem Virginea Mater, & per semen illius Christus mysticè fuit designatus.

Obj. II. Quodsi in primo jam mundi exordio Deus manifestare mundo Salvatorem voluit; cur veluti sub ænigmate locutus est? cur rem gravissimi momenti clariùs non expressit? *Resp.* Dominus est, qui sapientissimè disponit omnia. Dominicæ Incarnationis mysterium eatenus revelasse satis erat, quatenus erat necessum, ut *ADAMUS* & crederet Messiam venturum, & speraret ex illius meritis gratiam, & gloriam sempiternam, atque hanc ipsam veritatem posteritati suæ commendaret.

a) Scripturæ sensus generatim est notio verbis sacris ex Spiritûs Sancti intentione expressa. 10. Alius est *literalis*, sive *historicus*, quem verba ipsa sive propriè, sive tropicè accepta, primò & immediatè præ se ferunt. Alius *mysticus* seu *spiritualis*, qui per voces mediatè solum, h. e. mediantibus rebus per verba significatis indicatur. Atque hic sensus veluti nucleus est S. Scripturæ, cujus exterior cortex est litera. 20. Sensus mysticus iterum est vel *allegoricus*, qui est de re pertinente ad Fidem, aut Ecclesiam
mili.

militantem; vel *anagogicus*, qui spectat res ad vitam æternam, aut triumphantem Ecclesiam pertinentes; vel *tropologicus* aut *moralis*, qui est de rebus ad mores pertinentibus. A sensu *mystico* probè, discerni debet sensus *accommodatitius*, qui sc. nec immediatè, nec mediatè per verba S. Scripturæ exprimitur, ideoque nec à Spiritu S. intentus est.

DISSERTATIO II.

De homine lapsò.

Innocenti Homini succedit homo lapsus. Duplex 53. autem hominis lapsus distingui potest, alius *originalis*, cum nempe omnes *Ad. 2* posterì (excepta B. V. Maria) legem divinam in *Adamo* tamquam in Capite morali transgressi sunt; de quo videatur *Tomus III.* Alius *personalis*, dum quis voluntate physice propriâ legem Dei violat. Hic autem lapsus personalis cum libera legis transgressio sit; ea quæ ad libertatem in statu naturæ lapsæ pertinent, hoc loco primùm discutiemus, de Legibus deinde acturi. Libertatis verò indoles & natura ut clarior sit; quæ ad voluntarietatem actûs humani pertinent, præviè exponenda sunt. Utrique moralitas humanorum actuum haud incongruè subjicietur.

CAPUT I.

De Voluntarietate actûs humani.

Actus humani à TT. vocantur illæ actiones, quæ 54. ab homine fiunt humano modo, *h. e.* deliberatè, & ex libera voluntate. *Illæ solæ actiones vocantur propriè humanæ* (inquit S. THOMAS I. 2. q. 1. a. 1. Actus humanus a. I.